



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Thesavrvs|| Locorvm|| Commvnivm|| Jvrisprvdentiaē

Barbosa, Agostinho

Lipsiæ, 1697

Cap. XXV. De Alio, Altero.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80071)

X.
Nemini alienatio rei sua prohibita est, etiam si oneri vel pignori obnoxia sit. *l. 67. de Contr. Empt. nisi prohibitio secundum quid fiat. l. 14. C. ead. l. 34. §. 1. ff. eod.*

XI.
Alienatio etiam tacite fieri potest. Hinc si quis patitur alteri fundum adscribi in catastro, idque fiat in iudicio, videtur in eum alienasse. *Brunneman. ad l. 14. C. de omni agro deserto in fin.*

XII.
Ubi alienatio est prohibita, ibi & oppignoratio prohibita est, licet hac revocabilis sit per luitationem. *Perez. C. de vendend. reb. civit. n. 6.*

CAP. XXIV.

De Alimentis.

Axioma I.

Quoties liberi aliunde vitæ subsidia habere possunt, toties mater ad alimenta non est obstricta. Ratio est in *Lib. 1. Cap. 53. axiom. 1.* & mater tantum in subsidium tenetur. Ita, si pater vel avus sit superfluis aut liberi artem calleant, unde sibi victum quærere possunt, mater ad alimenta non tenebitur.

Amplia: ut mater ad alimenta non teneatur, licet liberi iis indigeant, si mater adeo inops fuerit ut seipsam sustinere non possit.

II.

Quoties alimenta debentur ex lege seu jure sanguinis, toties etiam disciplina continentur; nam eo casu æquè ad corpus sustentandum ac animam excolendum aliquis est adstrictus. *l. 3. §. 5. ff. ubi pupill. educ.* ita ergo pater & tutor tenentur ad mercedes præceptorum *l. 4. ff. eod.*

Limita, ut procedat in disciplinis necessariis, v. g. lesen und schreiben. Non in illis, quæ faciunt ad bene esse. *Surdus de aliment. l. 6. n. 8.*

III.

Quoties alimenta debentur ex promissione, toties nomine eorum disciplina non veniunt. Quia sic alia ratio est alimentorum, alia disciplinarum: Illa enim necessaria sunt, utpote sine quibus nemo potest vivere; hæc non item. In dubio autem promissio ita interpretanda, ut quam minimè oneret promittentem. Exemplum est, si alimenta debeantur ex contractu vel legato *l. 6. ff. de dim. vel cibar. legat.*

Limita: nisi ex conjecturis appareat, testatorem etiam de disciplinis sensit. *l. 7. ff. eod.*

IV.

Quoties alimenta inhabili ad ea paranda relinquantur, toties tamdiu debentur, quamdiu ad est inhabilitas, aut ille victum sibi parare nequit. Tamdiu enim aliquis indiget alimentis, & omnis dispositio intelligitur rebus sic stantibus. *cap. 2. X. de renunc.* Exemplum est in mente captis & stupidis.

V.

Quoties alimenta relinquantur illi, qui ea sibi parare valet, toties debentur in perpetuum. Quia favore alimentorum indefinita locutio æquipollet universali, præprimis hoc casu, ubi alia conjectura capi nequit. *l. 14. pr. de aliment. legat. ibique Barc. & DD.*

VI.

Sicut de alimentis futuris transigi non potest *l. 8. ff. l. 8. C. de transact.* ita nec aliud pro iis solvi debet, ne alimentario præbeatur occasio vendendi ea, quæ ad alendum eum destinata. Panes tamen civiles ab Imp. distributi inter cives vel scholares militiæ vendi vel soli vel cum ædibus tanquam privilegium iis inhærens possunt. *l. 1. C. de annon. civil.*

VII.

Alimentarius non potest pecuniam pro speciebus adeoque aliud pro alio petere. *Brunnem. C. de Eroga. milit. annon. col. 3.*

CAP. XXV.

De Alio, Altero.

Axioma I.

Alteri per alterum proficua conditio inferri non potest; ita frater fratris vacatione à muneribus non gaudet, nec alter alterius præscriptione. *Perez. C. de muner. & honor. non contin. n. 9.* nec quidem filius ob munera patris. *Brunnem. ad l. 1. C. eod.*

II.

Aliud pro alio à creditore exigi non potest. Hinc dominus non potest operas subditorum in alias, licet similes, convertere. *Brunnem. ad l. 5. C. de Agric. & censu. n. 2.* nec pro fructibus pecuniam exigere. *Perez. C. eod. n. 27.* hinc nec is, cui alimenta debentur, potest pro iis petere pecuniam. Limita: nisi debitor sit in mora. *Brunnem. d. l. n. 3.*

III.

Ex alterius contractu vel delicto nemo conveniri, nec res ejus pignori potest, licet hic ex eodem vico vel civitate sit. *l. un. C. ut nullus ex vicancis.* Ne quidem pro publicis debitis *l. 4. C. de Exactor. & Executor.* hinc ab alio aliquid extorquens quadruplum rescire tenetur & exilio puniatur. *N. 52. c. 1. N. 134. c. 4.* ut & consilium dans ad extorsionem. *d. Nov.* specialiter autem pro aliis pignori prohibentur Studiosi, *auth. habitata. C. ne filius pro patre.* Clerici. *cap. 1. de Injur. in sexto.*

Limita: Repressalia tamen hodiè contra alterius principis subditos conceduntur. Sed requiritur (1.) ut causa sit gravis & liquida, (2.) ut accedat jussus supremi principis, (3.) ut à Magistratu lædenti exteri justitia sit denegata, (4.) Res detentæ sub hasta publicè vendantur. *Perez. t. 1. c. ut nullus ex vicancis.* ob dictam regulam sequitur, incolas, qui suas collectas solverunt, non teneri ad expensas executionis contra morosos factas. Equum enim est, ut quilibet delicti sui poenas luat, & sic morosi solvent soli expensas executionis. *Brunnem. ad l. 12. C. de omni agro deserto.*

CAP.